AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS DECIMA QVARTA DECEMBRIS. MAGISTRO PETRO LE COMTE, DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

An cor facultatum omnium principium? 720.



HOMO ex anima & corpore quid vnum, maioris Mundi œconomiam in se continens, similibus cietur motibus, quibus Vniuersi partes, vndè sua desumit principia. In ipso enim motus Cœlorum in orbem, & Elementorum recti à centro, & ad centrum, nec-non mixtorum omnium mixti reperiuntur. Anima omnibus æqualis, & æqualiter tota in toto, sola corpus informat, ac vt Monarcha regit. Eius potestas maior in corde, minor in cerebro, & hepate, tribus principibus partibus, vt sede, sic officio seiunctis: quarum ministri alij coadiutores, alij seruientes, per totum corpus dispersi, quæ ipsarum iuris sunt exequuntur, preparantes, & deferentes alimentum à iecore, vitam à corde, sensum & motum à cerebro.



POLITIA hæc quamdiù manet illæsa, principum facultatum functiones in cerebro, sensitricum in proprijs organis, & motricum motus in toto corpore fiunt κατὰ φύσιν. Horum sensiles genere duplices: alij enim sequuntur voluntatis imperium, & à neruis per musculos editi, actiones dicuntur animales, ad quas referuntur volatio, progressio, natatio, & statio: alij verò in corde, & arterijs, facultati vitali subseruiunt, à qua functiones appellantur vitales, vt cordis systole, diastole, arteriarum pulsus, & respiratio. Insensiles nutrici facultati famulantes in hepate, & venis peraguntur, quales sunt attractio, retentio, concoctio, expulsio, & operationes nuncupantur naturales. Procreatrix facultas vt mixta sic mixtis absoluitur motibus, residetque in testibus, & vasis spermaticis. Hæc in vniuersum suam dignitatem, & vires sortiuntur à corde, tanquam à primo, & nobilissimo omnium facultatum, & functionum fonte.



EST autem cor velut conoidalis figuræ corpus, mole perexiguum, at virtute maximum, cuius basis κεφαλὴ, mucro πυθμὴν dicitur: hanc turbinis figuram adeptum ad leuitatem, & faciliorem motum: Situm habet in medio thoracis, vt vitalem spiritum instar Solis in omnia extrema peræquè diffunderet. Eius cuspis inferiorem locum obtinens antrorsùm, & sinistrorsùm sub papillam sinistram paululùm inclinat; antrorsùm, vt calidior redderetur ea pars, in quam fit motus: sinistrorsùm, vt cederet ascendenti cauæ, redderet corpus æquilibre, faueret ventriculo, & lieni, nec diaphragmati primario respirationis organo, & continuo motu agitato noceret. Viscus calidissimum, constans carne omni villorum genere texta, adipe, venis, arterijs, neruis, & tunicâ propriâ. In eo duo sinus, dexter sanguineus, sinister aëreus, quibus per duplicem cordis motum omnia vitæ munia peraguntur.



CORDIS vt maior necessitas, quàm cerebri, + & cœterarum partium, ita & dignitas: cuius solius læsio mortem affert præsentaneam. Eiusdem perenni motu perpetua fit spirituum generatio, quorum copia omni animali perfecto fœcunditatem largitur. Sympathiam habet æqualem cum omnibus corporis partibus; scilicet cum cerebro per arterias, quas ad ipsum numerosè mittit: cum iecore per venas: cum ventriculo ratione viciniæ, & insignium neruorum, quos ambo à sexta coniugatione recipiunt: cum liene per plures, easquè peramplas arterias: cum vtero per venas, & diaphragma: cum renibus etiam per arterias, quibus interdum empyicorum pus salubriter expurgatur: cum testibus per venas & arterias: denique cum omnibus sentientibus, etiam extimis partibus, per sanguinem, & spiritus. Ita vt corde affecto, omnes partes illicò noxam patiantur, sicut illis malè se habentibus, vicissim cor trahitur in consensum.

+ [illegible] hanc partem [illegible] sumptam [illegible] [illegible] [illegible] qua [illegible] [illegible] stadio p. 40.



ATQVE dùm morbus in rempublicam humani corporis irruit: tùm demùm inordinati cordis, cœterarumquè partium motus ab ipsa anima suscitantur, partim qui prodant, partim qui hostem foras expellant. Cuiusmodi sunt tussis, sternutatio, παλμὸς (minimè tremor cordis) nausea, singultus, vomitus, intestinalis, & vterinus fluor, oscitatio, pandiculatio, rigor, horror, motus vesicæ in calculi exclusione, & similes quamplurimi, ad quatuor motuum deprauatorum genera, concussiuum, conuulsiuum, tremulum, & palpitantem referendi. His cor excitatum, velut optimus Princeps ad subditos, ita ad partes morbo grauatas, subsidia mittit, quibus, cum auxilijs ab arte medica petitis, hostem profligat, & ipsas pristinæ sanitati restituit.

Ergò cor omnium facultatum principium. 166

Asserebat NICOLAVS MATHIEV Barroducæus, Anno R. S. H. 1628. Parisijs.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ioannes de Bourges. [illegible] 32 [illegible]
M. Ludouicus Robillart.
M. Franciscus Bouionnier.
M. Joannes Berault, Prof. Reg.
M. Franciscus Mandat.
M. Franciscus Quiquebœuf.
M. Nicolaus Henault.
M. Philibertus Guibert.
M. Joannes Pietre, Decanus.